COMPETITIO AD AGGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI, INSTITUTA ANNO 1823.

An homo laqueis collo appositis suspensus, aut strangulatus, semper asphyxia aut apoplexia interit?

THESIS,

Quam, Deo favente, in saluberrima facultate medica Parisiensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus subjiciet, et debellare conabitur,

Die 1824,

J. P. DESTOUET,

D. M. P. alumnus Scholæ Normalis, medicus quinti *Dispensarii* Societatis Philanthropicæ, necnon Adjunctus Academiæ Regiæ Medicinæ Parisiensi, et Societati Scientiarum, Artium et Agriculturæ Argentoratensi, etc.

PARISIIS,

E TYPIS CRAPELET.

M. DCCC. XXIV.

PRÆSES	D.	Esquirol.
JUDICES.	DD.	Landré-Beauvais. Royer-Collard. Récamier. Cayol. Bertin. Fizeau. Alin. Jadioux.
VICARII JUDICES.	DD.	Fouquier. Kergaradec. Parent du Chatelet.

Instaurata celeberrima Parisiensi Facultate medica, concursus publicus, ad instituendum professorum seminarium factus, nunc primum in usum vocatus est. Omnes candidati, cum duas jam subiissemus examinationes, thesium argumenta sortiti sumus, quæ duodecim dierum spatio scribendæ, concursus præsidis censuræ subjiciendæ, preloque excutiendæ sunt; multis autem aliis occupationibus detentus, materiam mihi sorte datam, ea qua sane digna erat, cura, tractare non potui, nedum huic opusculo, ut par erat, quippe in lucem edendo, ultimam manum imposuerim. Quod tamen in optimam partem accipiant, velim, lectores, qui benigno, ut spero, erunt animo, si quid minus plene, lucide eleganterque tractatum fuerit.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b22414009

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI, INSTITUTA ANNO 1823.

An homo laqueis collo appositis suspensus, aut strangulatus, semper asphyxia aut apoplexia interit?

§. Ier.

1. Inter medicos, tum veteres, tum recentiores, diu certatum est, imo nec inter omnes adhuc convenit quonam genere mortis extinguantur suspensi, aut strangulati; alii quidem asphyxiam, alii vero apoplexiam eorum necis causam esse voluerunt. Sunt autem et nonnulli, vel inter non adeo recentes auctores, qui neutram, quibusdam saltem in casibus, probantes, alias quidem proposuerunt, imprimis vero luxationem vertebrarum cervicalium, et, quod consequitur, læsionem medullæ spinalis; de qua, ut de cæteris, si quæ sint, causis infra videbimus, postquam aliquid attigerimus de duobus jam indicatis.

§. II.

2. Etsi asphyxia, ex sua origine græca, nihil aliud significat nisi homini qui ea tenetur jam pulsum deficere, tamen omnes auctores nunc in eo consentiunt, ut per hanc vocem intelligant respirationis interceptionem. Cui quidem locus esse potest vel quod aer ad pulmones usque non pervenit, vel quod, si ad eos usque pervenit, non est aptus ad hanc functionem exercendam. Hic autem de priore isto asphyxiæ genere solummodo agendum est.

3. Ex numerosissimis causis ne aer intra pulmones sese insinuet impedientibus, una nobis consideranda est, nempe cum constringitur fistula pulmonalis laqueis collo appositis. Hæc causa, quæ

quidem obvia est, a remotissimis temporibus probata est ad explicandam mortem celerem suspendio, aut strangulatione necatorum; nec sane opus est longe disserere ut proprium occlusionis hujus canalis effectum cito lethiferum comprobemus. Mihi ergo satis erit, ne perdam oleum et operam, si aliquot exempla hujusce miserioris casus retulerim. Suetonius (1) quidem tradidit Drusum, Claudii Cæsaris impuberem filium, suffocatum esse *piro per lusum in sublime jactato, et hiatu oris excepto.* Juvenis autem robustus, de quo Bonetus (2), frustulo carnis in laringem illapso, et hanc totam obturante, *subito pereunte respiratione,* antequam advocaretur chirurgus, est *suffocatus.* Nostro quoque Cl. Ant. Petito (3), et, ut multos alios prætercam. Ill. Hallero (4) accidit, ut mortes celeres ab ejusmodi causa narrandas habuerint. Nec ego reticebo casum infandum quo ante diem de medio sublatus est noster infortunatus poeta, Gilbertus, qui, nondum triginta annos natus, magnam jam de se, nec immeritam, spem concitaverat: clavis autem, quam inter delirandum devoraverat, in laryngem irrepsit, et illum misere suffocavit (5).

4. Minime ergo mirum est, si pluribus, ut puta Dionysio (6) et Langgutho (7) placuerit ob id unum semper interire suspensos et strangulatos, quod respiratio intercipiatur. Quam tamen in sententiam nemo ire posse mihi videtur, jamjam ostendere conaturo alias insuper esse eorum necis causas, interque eas præsertim apoplexiam, modo prius in transitu monuerim observata in corporibus suffocatis ad hoc Harvei (7) exemplum quadrare: *Ego,* inquit, *aliquando in cadavere humano, noviter strangulato, inter duas horas a*

---

(1) De duodecim. Cæsarib., l. 5. c. 27.

(2) In Sepulchr., sect. 2, obs. 6.

(3) Mém. de l'Acad. royale des Sciences, année 1742.

(4) Opusc. pathol., obs. 7.

(5) Nouv. Élém. de physiol., par A. Richerand, tom. II, p. 485, (5me édit.)

(6) L'Anat. de l'homme, éd. 5, démonstr. 7.

(7) Disp. de redd. rec. præfocatis adempta anima, §. 11.

(7) De Circul. sang., exerc. 3.

suspensione..... auriculam dextram cordis, et pulmones plurimum distentos, et infarctos sanguine, multis adstantibus ostendi.

§. III.

5. Si quis attente perlegat observationes et experimenta eorum qui has alias causas ac asphyxiam inquisiverunt, certe inficias ire non poterit apoplexiam plurimum conferre, saltem frequentius, ad necem suspensorum, aut strangulatorum. Cæsalpinus (1) enim, *referunt*, inquit, *qui laqueo suspensi non interierunt, in constrictione laquei stupore correptos esse, ut tandem nihil sentirent.* Wepferus (2) quoque de muliere et viro suspendio superstitibus verba faciens, illam quidem scripsit, omnium immemorem, instar *apoplecticæ* jacuisse, hunc autem *constricto laqueo ne minimum dolorem perpessum esse...., et sine omni sensu aliquot horas profundo quasi sopore sepultum exegisse.* Celeberrimus vero Morgagnus (3) narrat furciferum, quem prorsus pede interficere carnifex non potuerat, interrogantibus retulisse *primum sibi quasi scintillas ante oculos esse observatas, mox nihil, nihilque præterea, quasi dormiret, omnino sensisse.* Denique idem Morgagnus (4) feminam vidit, cui nocturni fures, ut securo animo domum expilarent, collum sudariolo contorto sic obstrinxerant, ut interemptam esse non dubitarent; ea quidem inventa est facie tumida et livida, ore spumosissimo, et nihilominus servata est medicorum industria, sanguine de brachio et pede misso. Quæ autem mulier permultas horas etiam jacuit, priusquam ad se redierit. Cæterum hæc observatio, ut propositum meum confirmat, ita aphorismum Hippocratis, sic a Celso latine redditum, *neque is ad vitam redit, qui ex suspendio spumante ore detractus est,* diserte infirmat.

6. Quin imo suspensis, aut strangulatis, nonnunquam accidit, ut non modo sanguinis circumitio per cerebrum subsistat, sed etiam tanta copia ipse cumuletur, unde mox vasa disrumpantur, sicut in

---

(1) L. 2, Quæst. med. 15.

(2) Exercit. de loco aff. in apopl.

(3) De Sed. et caus. morb., epist. 19, n° 36.

(4) Loc. Sup. cit.

quadam muliere, quam viri duo, manibus constricto collo, strangulaverant; in ea enim *sanguinem effusum supra basim cranii, et in ventriculis* invenit noster Cl. Littrius (1). Præterea in suspenso fure, quem P. Nannius (2) dissecuit, sinus longitudinalis crassioris meningis *ruptus* repertus est; et Lancisius in quibusdam strangulatis vidit *puncta sanguinea spisso agmine candidam medullæ cerebri substantiam variegare.*

7. Quemadmodum autem ex dictis unanimi voce confitendum est sanguinem per cerebrum subsistentem, imo vasa ipsa quandoque disrumpentem, si non solum, at saltem alias causas, præsertimque asphyxiam, adjutrices habentem, suspensis aut strangulatis mortem afferre, sic inter se discrepant vel gravissimi auctores quomodo tunc fiat apoplexia.

8. Tametsi Rufus Ephesius (3), postquam scripsit arterias colli, *Carotides, id est somniferas antiquos nominasse, quoniam compressæ hominem sopore gravabant, vocemque adimebant,* continuo subjecerit, *cæterum nostro sæculo non arteriarum, sed nervorum sensoriorum, prope jacentium, id vitium esse compertum est;* constat nihilominus ex experimentis Galeni (4) ipsius, non solum recentiorum, ut puta J. H. Brunneri (5), Valsalvæ (6), et nonnullorum aliorum nostræ ætatis, imprimisque solertissimi et peritissimi doctoris Magendii; constat ergo ex nervorum quidem carotidibus annexorum, non autem harum arteriarum constrictione, mutum revera statim evadere animal, sed nullo sopore, aliove simili incommodo affici. Unde patet opinionem Rufi, ejusque sectatorum, omnino rejiciendam esse, nec dignam videri quæ serio refellatur, nisi adesset vir, alioquin doctissimus, Foderœus (7), qui contendat mortem suspen-

---

(1) Hist. de l'Acad. royale des Sciences, année 1704, observ. anat. 2.

(2) Apud Morg., epist. cit. n° 38.

(3) De Corp. hum., part. appell. l. 1, n° 34.

(4) De Hippocr. et Plat. Decr., l. 2, c. 6.

(5) Experim. circa ligatur. nervor., §. 25 et seq.

(6) Morg., Epist. anat. 13, n° 27 et seq. usq. ad 40.

(7) Traité de méd. leg., tom. III, §. 637.

sorum, aut strangulatorum, magis forte referendam esse ad nervorum constrictionem, quam ad arteriarum venarumque colli compressionem.

9. Itaque haud abs re esse existimo diligenter expendere quid auctores censuerint de effectu compressionis vasorum sanguiferorum, nervos eosdem per collum comitantium, et primum arteriarum. Sic autem Galenus (1) nos docet quod observaverat, vinctis carotidibus, *animal neque mutum, neque sopitum evadere.* Quarum quidem constrictarum sæpe experimentum se fecisse alibi (2) confirmat, *nihilque passum animal neque statim, neque postea.* Denique alio loco (3) postquam asseveravit sic *per integrum diei spatium, ut sæpe expertus fuerat, sine noxa perdurare*, addidit, cum idem animal currere coegisset, *diu probe currere vidisse, dein languidius, postea currere non potuisse.* Plures quidem medici Galeno astipulati sunt, et in hisce Columbus (4), Sanctorius (5) Swietenius (6), Valsalva (7), qui ejus iteraverunt experimenta. Quæ cum fuse recensere ac describere inutile ac supervacaneum est, hic tantum dicam de omnibus animalibus, in quibus galenicum periculum factum est, ne unum quidem sopore correptum fuisse. Sed contra alii ea de re cum Galeno minime fecerunt, ut Avicenna (8), qui, *venis apoplecticis* (sic enim carotides vocabant Arabes) *ligatis, deperditur statim motus et sensus.* Deinde hunc secuti sunt C. Stephanus (9), Baglivus (10), Drelincurtius (11) et Lamurius (12).

10. In tanta summorum virorum dissensione non facilis est con-

---

(1) De loc. affect., l. 2, c. 6.
(2) De utilit. resp., c. 5.
(3) De puls. usu., c. 2.
(4) De re anat., l. 14 et 7.
(5) Comment. in Art. med. Gal., qu. 35.
(6) Comment. in Boerh., Aphor., §. 170, n° 3.
(7) Apud Morg., Epist. 19, n° 25.
(8) Apud Salium Diversum, de Affect. autem part. c. 2.
(9) De Dissect., part. corp. hum., l. 1, c. 88.
(10) Diss. 3.
(11) Experim. anat. canic., 1, n° 10.
(12) Mém. de l'Acad. royale des Sciences, année 1749, exp. 2.

ciliatio. Attamen cuilibet attendenti Avicennam, C. Stephanum et Baglivum nullum fecisse, aut memorasse periculum, Drelincúrtium in eodem molosso tot simul tentavisse, ut pauca, quæ ex mortuo descripsit, alio potius quam huc referenda esse videantur, et Lamurium non id de quo agitur quæsivisse, et perbrevi tempore canem spectavisse, sane manifestum erit opinionem Galeni, ejusque astipulatorum, adeo veri similiorem, potius admittendam esse. Præterea rationi et sanguinis circumitioni magis consentanea est, nos docentibus hunc per carotides arterias ad cerebrum afferri, non ex eo efferri, et, quod consequitur, earum constrictionem sopori apoplectico locum dare minime valere. Tandem non omittendum est recentia experimenta galenico periculo omnino respondere; et neminem fugit multos chirurgos, præcipue autem Cl. professorem Puytrenum in nosocomio *Hôtel-Dieu* dicto, carotides aneurismate affectas obligasse, nec ullum inde sanguineæ congestionis in cerebro indicium animadvertisse. Hactenus de carotidibus, nunc videamus de venis jugularibus.

11. Primus omnium qui de ligatis in vivis animalibus venis jugularibus internis mentionem injecerit, mihi videtur fuisse Aristoteles (1), qui brevius rem attingens, *quibus in collo venæ apprehenduntur, ii*, inquit, *insensibiles fiunt.* Idem autem Galenus (2) quem jam sæpius laudavi, his venis vinculo astrictis, *functionem evidenter interire nullam* animadvertit. Quod quidem creditu difficile est, sed non omni modo negandum. Etenim fieri potest ut, vix ligatis venis, mox aut vincula detraxerit, aut animal occiderit. Præterea ipse reticuit quo in genere animalium, et qua in colli parte venas constinxerit; quorum utrumque sane animadversione dignum est, præsertim quum nemo negare ausus sit aliam in aliis animalium generibus esse posse vasorum dispositionem, aut communicationem, et ex Lamurii (3) experimentis conjiciendum sit aliud accidere si venæ jugulares internæ ligatæ sint altius, aliud, si inferius. Hic enim quum illas in duobus canibus obligasset, in uno quidem cui vinculum injectum fuerat infra earum bifurcatio-

(1) Hist. animal., l. 3, c. 3.
(2) De loc. aff., l. 2, c. 6.
(3) Loc. cit.

nes, nullum soporem animadvertit, alter autem cui injectum est propius thoracem *incidit in profundum soporem.*

12. Præterea exstant et nonnulla alia experimenta Galeno potius faventia, quam adversantia. Etenim Novesius (1), ut legitur apud Morgagnum, internis simul et externis venis jugularibus circumligatis in duobus molossis, in uno et altero quidem observavit signa capitis facti ponderosioris, et lacrymas aliquot, sed utroque aliquo post tempore mortuo, *nihil quidquam seri extra, aut intra cranium effusi deprehendit.* Scilicet persistebat, quamvis lentior facta, sanguinis circumitio, nimirum redeuntis per venas vertebrales.

13. Quod attinet ad venas jugulares externas, partibus capitis exterioribus tantummodo inservientes, et non nisi per tenuissimos ramos cum internis communicantes, per se certe parum faciunt ad expeditiorem ex interiori cranio sanguinis reditum. Harderus (2) enim quum in cane has venas vinxisset, non modo *læsi cerebri symptomata non conspexit*, verum etiam in dissecto cerebro sanguinis extravasati parum omnino deprehendit.

14. Ex dictis colligendum est, primum constrictionem nervorum vasa sanguifera per collum comitantium minime conferre ad apoplexia afficiendos suspensos, aut strangulatos : deinde nec carotidum compressionem : denique, etsi nihil proclivius est quam facere cum Wepfero, contendente venarum jugularium adstrictione prohiberi sanguinis reditum, qui per carotides arterias non omnino compressas, et multo magis per vertebrales in cerebrum importatur, ideoque confestim apoplexiam lethalem fieri, *neque aliam esse rationem mortis suspensorum ;* tamen ex experimentis Galeni, Harderi, Novesii multorumque aliorum recentiorum constare nullum affectum soporosum, nedum apoplexiam, continuo, aut mox consecutam esse illarum venarum constrictionem. Quod nemo supra fidem habebit, quum attenderit vel maximam totarum colli partium constrictionem minime impedire quin sanguinis in cerebro circulatio per vertebrales arterias venasque quadantenus servetur.

---

(1) Lettr. de G. Desnoves, IV.

(2) Eph. N. C. dec. a. 3, obs. 115, in schol. fine.

15. Quod autem non potest singularum partium indicatarum, id fere potest universarum constrictio. Aliud enim constrictis singulis, aliud universis, accidere posse, tum ratio monstrat, tum confirmat experientia.

§. IV.

16. Jam perfunctus illa experimentorum et variarum opinionum consideratione, quæ necessaria erat ad explicandum quomodo fiat apoplexia in suspensis, aut strangulatis, nunc devenire propero ad id quod a me præcipue quæritur, id est an sint, præter asphyxiam et apoplexiam, aliæ causæ eorum necis? Qua de re olim minime concordes erant medici. Alii enim, ut legeris apud Palfinum (1), deprehendisse se aiunt in iis fere omnibus de quibus hoc supplicium (suspendium) sumptum fuerat, vertebram colli primam omnino a secunda separatam. Et jam Wepferus (2) rem ita se gerere suspicari videbatur, cum suspensorum humeris insultat carnifex, ac pede caput in transversum agit. Quod fieri posse diserte negant alii, imprimis Columbus (3), qui confirmat in suspensis caput non luxari secundum observationes suas, *sæpius Patavii, Pisis, Romæque* habitas, propterea quod tantum est ligamenti id prohibentis robur, ut animadverterit *frangi facilius quam luxari secundam vertebram posse, neque secundam solum, sed primam quoque.* Cui opinioni pondus addere videtur M. Tullii locus (4), ubi hic disertus orator scripsit supplicii genus de quo agitur *cervices frangere.*

17. Quamquam re vera difficiles habeat explicatus luxatio vertebrarum ob causam a Columbo indicatam, aut alias ejusmodi, tamen nullum jam superest dissidium inter medicos, qui una mente pronuntiant eam posse fieri in homine debili et lymphatica constitutione donato, vel vino aut somno sepulto. Nemo quidem nescit nostrum Cl. Louisium (5) miratum quam cito necaret dam-

---

(1) Anat. du corps hum., tr. 5, c. 8.

(2) Exercit. de loco aff. in apopl.

(3) De re Anat., l. 3, c. 2.

(4) In Verrem, l. 5, et in Vatin.

(5) Mém. sur une question anat. relative à la jurisprudence

natos ad suspendium carnifex, cum eo in colloquium venire non puduisse, quippe veri persequentissimum, et ab eo accepisse se ipsum miserorum corporis truncum, capite immoto, circumagere, et ita vertebrarum cervicalium luxationem efficere. Quam quoque doctor Richondus (1), multique alii pariter produxerunt in canibus, felibus, aliisque animalibus, seu caput et caudam in diversum trahentes, seu collum obtorquentes, seu denique, carnificis exemplo, corpus, capite immoto, rotantes. In omnibus ejusmodi experimentis, ait doctor Richondus, medulla spinalis læsa est inter primam et secundam vertebram cervicis.

18. Modus autem luxationis efficiendæ varius est pro variis circumstantiis. Etenim si suspensus sit junior, et apophysis odontoides nondum suam adepta sit magnitudinem, si magna vi distrahatur corpus, tunc illa apophysis discedens ab anteriori arcu primæ vertebræ, ligamentum transversum subit, et medullam comprimit. Sin autem luxationem produxerint collum obtorquendo, aut corpus rotando, rupta sint ligamenta odontoidea necesse est.

19. Alterutro modo res sese habet, si non semper, at saltem ut plurimum. Dixi ut plurimum quia interscribendum mihi in mentem venit an nonnumquam fieri possit ut extensio medullæ spinalis, aut potius læsio nervorum ab ipsa ortorum, absque ulla vertebrarum luxatione aut fractura, mortem adeo celerem afferre possit. Quæ autem suspicio, de qua nemo, quod sciam, antea mentionem fecit, non forte indigna est cui observationibus et experimentis confirmandæ, aut delendæ viri docti studeant.

20. Quidquid id est, sane constat suspensos non semper asphyxia aut apoplexia interire, et, si forte subito pereunt, ob ipsius medullæ spinalis læsionem, aut aliam causam, de qua nunc agendum est, extingui.

§. V.

21. Alia insuper est causa mortis suspensorum, aut strangulatorum, ad ætatem usque nostram prorsus ignota, et quam nullus

---

(1) Dissert. inaugurale, 1822, n° 52.

scriptor, quod meminerim, ante præstantissimum doctorem Esquirolum (1), summum hujusce concursus præsidem, et illustrissimum hujus facultatis professorem Orfilam (2), memoraverit scilicet syncope. Etenim pronum est intelligere hominem suspensum, vel illum dico qui sibi vitam arripere tentat, pavore subito correptum esse, et idcirco, aut alia qualibet causa sanguinem non jam circumire, et id anteaquam mors ipsius, asphyxiæ, aut apoplexiæ tribui debeat. Qua de re nemo inficias ire posse videtur, quum sciat permulta exstare exempla, in quibus inter auctores constat nullam aliam esse potuisse causam necis in aqua submersorum, quam syncopem, ut re ipsa demonstrant observata in cadaveribus, nihil, aut fere nihil sanguinis in pulmonibus, vasis cerebri et corde præbentibus. Sed quid opus est ratione, aut similitudine uti, cum observatio occurrat rem plane confirmans. In hac enim observatione, quæ est Cl. D. Esquiroli, et quam fusius infra interpretabor, vasa cerebri minime quidem turgida, pulmones autem et cor sanguine vacua erant. Nec desunt præterea alia exempla, in quibus asphyxiæ, aut apoplexiæ jam instanti syncope supervenisse videtur; nam sectis cadaveribus, major quidem minorve sanguinis copia in vasis cerebri et pulmonibus reperta est, sed non tanta, ut inde mortem accidisse dicere possimus. Quam autem veri tunc simillimum est, non solum ad asphyxiam, aut apoplexiam, sed etiam, et præcipue, ad syncopem tribuendam esse.

22. Hæc habui quæ de causis mortis suspensorum, aut strangulatorum scriberem. Quarum cognitio omnino necessaria erat ad discutiendam quamdam quæstionem medico-legalem, quæ proponi solet. Hæc autem pars argumenti tanti est momenti, ut, etsi expresse non posita est, non prætermittenda tamen mihi visa sit.

§. VI.

Quæstio medico-legalis.

Homo suspensus repertus, vivusne an mortuus fuit suspensus?

---

(1) Archiv. génér. de méd., janvier 1823.

(2) Leçons de méd. légale, tom. 2, p. 659.

23. Celeberrimus M. Albertus (1) hæc esse signa scripsit, quorum ope talis recognitio instituatur. « Vivi suspensi habent vestigia fu-
« nis in collo constricti, circulo aliquo sublivido, suggillato, imo
« rima et fissura arctius intra cutem penetrante et circumducta, ut
« et quandoque plane alicubi incisa; circa hanc funis lineolam et
« circulum reliqua cutis est contracta, rigida, imo irregulariter
« rugosa : lingua est tumida, intra dentes depressa, livida, aut den-
« tibus incisa, aut contorta, adest spuma ante os, aut spuma in
« faucibus sanguinolenta, aut mucilago sanguinolenta e naribus
« effluit : oculi quidem concavi, sed præter solitum tumidi sunt et
« semiclausi, rarius etiam cartilagines glottidis et epiglottidis de-
« pressæ, distortæ, laceræ et contritæ sunt : vertebræ colli præcipue
« tunc luxatæ reperiuntur, quando ejusmodi homines sub manibus
« alterius, aut carnificis suspensi fuerunt, qui pro acceleranda
« suffocatione caput introrsum deprimere solet, ut propterea colli
« vertebræ luxentur : labia sunt tumida et livida, totum corpus
« æqualiter riget, digiti sunt contracti et in apicibus lividi, imo
« brachia et crura sunt livida; in pulmonibus præcipue deprehen-
« duntur signa strangulationis, ut et in corde et dextro imprimis
« ventriculo, nec non in cerebro signa vel extravasati sanguinis
« observantur, vel vasa sanguifera valde turgida sunt; diaphragma
« in suspensis ut plurimum versus thoracem retrahitur. » *Quæ omnia signa in mortuis suspensis non reperiuntur.*

24. Omnes quidem ad unum medicinæ legalis auctores ad nostram usque memoriam hæc signa probaverunt. Ægre vero ferendum est rem tam gravem, adeo leviter, ne dicam negligenter, ab eis tractatam fuisse. Si quis enim aliquot cadavera hominum vivorum suspensorum diligenter inspexerit, illi facile perspicuum ac persuasum erit multa signa proposita sæpe deesse, quædam autem non nisi certis temporibus et circumstantiis reperiri, alia autem, ut puta circulum laqueo impressum, colli suggillationem (2) non, accu-

---

(1) Systema jurispr. med., tom. I, p. 224, §. XIII.

(2) Hanc vocem ab omnibus auctoribus qui latine scripserunt admissam, voce *ecchymosi*, qua vulgo utimur, supplere non mihi visum est. Lectores tantum

rate descripta fuisse. A plurimis quidem observatoribus jam dudum animadversum erat vivos suspensos, multis in casibus, nullam spumam in ore, vel circa os præbere. Bellocus (1) autem perite docet, si collum laqueo comprimatur supra cartilaginem thyroideam, suspensum non exerere linguam, quippe retrorsum actam ab ossis hyoidis compressione; sin contra infra cartilaginem cricoideam, tum ab ore exerere linguam, tumidam, rubram, aut violaceam. Sed præcipue de hac parte medicinæ legalis meritus est, si quis alius, Cl. doctor Esquirolus, qui nuperrime quatuor edidit observationes, omnino infirmantes quædam signa unanimi voce ante comprobata. Quæ autem observationes eo graviores habendæ sunt, quod confirmantur, multis saltem in rebus, plurimis aliis exemplis, quæ aliquot vix interjectis mensibus retulit supra laudatus Ill. professor Orfila.

§. VII.

25. Operæ pretium hic aliquid excerpere ex utriusque observationibus.

26. Mulieris insanæ, quæ se ipsam suspenderat, corpus inspectum est, vinculo soluto, statim ac mortua est. Vultus nihil quidquam quod a natura recederet, offerebat, et cutis in toto corpore nec colorem suum amiserat, nec suggillata erat; vinculum duos effecerat circulos, unum quidem ad perpendiculum axim corporis secantem, alterum vero obliquum; cutis non mutaverat colorem in loco depresso, nullamque suggillationem præbebat vel supra, vel infra circulos. Aliquot post horas cadaver corpus vivum adhuc referebat; nec nisi septem octove horis post mortem vultus cœptus est fieri sublividus et tumidus, pedes violacei, membra rigida. Sectum est cadaver quinque et viginti horis post mortem : tunc vultus leviter mutatus erat; oculi aperti et micantes; duo circuli parum profundi; cutis in loco depresso fusca, quasi adusta, nec vero suggillata; textum cellulare ibi sub cute respondens densum et corusce album;

---

monitos volo per eam me nihil aliud intelligere nisi sanguinem inter texti cellularis laminas extravasatum.

(1) Cours de médec. légale, n° 170.

cutis capitis sanguine nigro scatebat; vasa per meninges reptantia vix turgida; nullum sanguineæ scongestionis indicium in cerebro; pulmones et cor sanguine vacua.

27. Alterius mulieris, quod repertum est quinque sexve horis post suspendium, cadaver hæc præbuit, fune nondum collo detracto: vultum violaceum; oculos semi-âpertos et micantes; spumam sanguinolentam circa labra, quæ erant livida; membra superiora, dimidiam partem inferiorem crurum, pedes, pariter violacea; omnes partes frigidas; circulum laqueo impressum profundissimum; et ibi cutem maxime fuscam, quasi adustam, sed non suggillatam. Sectio cadaveris novem et viginti horis post mortem tantummodo celebrata est : tunc vultus erat tumidus, violaceus; oculi aperti; extrema membra maxime violacea; venter prominens; textum cellulare in loco depresso sub cute respondens pariter corusce album. Nullum erat suggillationis vestigium vel supra, vel infra circulum. Sanguine scatebat capitis cutis; vasa per meninges reptantia leviter turgida erant; cerebrum sanum; cor sanguine nigro et fluido plenum; pars inferior et posterior pulmonis dexteri sanguine nigro referta; quod facile mortis et situs cadaveris effectus erat.

28. Viri, qui se ipsum quoque suspenderat, sed cui paulo post suspendium laqueum detraxerant, vultus minime mutatus repertus est; nulla erat spuma in ore, aut suggillatio circa collum.

29. Alterius viri, qui a multis horis se suspenderat, tumor et color lividus faciei statim evanuerunt ac vinculum solutum est; evanuit quoque color lividus scroti, et penis, quæ erectione semirigida erat.

30. Cuilibet has observationes attente perlegenti, multa gravissima ex illis inferenda facile occurrunt. Etenim prima, secunda et tertia suggillationem in homine vivo suspenso deesse posse plane comprobant, et illam, ex Ilaeni (1) sententia, pro signo dubio existimandam esse. Ex secunda autem, tertia et quarta apparet, secundum quidem earum auctoris mentem, tumorem et colorem

(1) Ratio. ms. pars altera, c. IV.

violaceum vultus, spumam sanguinolentam in ore et circa labra, rigiditatem membrorum in extremis sublividorum, ex eo pendere quod laqueus non ante collo fuerit detractus quam cadaver refrigerit; nam si vinculum solvatur, ait Cl. D. Esquirolus, proxime, imo multis horis post mortem, nullum e signis indicatis invenies. Præterea prima historia nos docet syncopem inter causas mortis suspensorum, ut supra dixi, collocandam esse, cum vasa cerebri quidem minime turgida, pulmones autem et cor sanguine vacua in ista insana muliere reperta sint. Denique id non prætermittendum puto, etiamsi ad propositam quæstionem minus pertineat, duos circulos laqueo impressos non esse inexpugnabilem homicidii probationem, ut quibusdam placet; mulier enim de qua mentio injecta est in eadem prima observatione, se ipsam suspenderat.

31. Clarissimi doctoris Esquiroli observationes, et consultissimas animadversiones illis subjectas, quod quidem ad colli suggillationem attinet, omnia doctissimi professoris Orfilæ exempla penitus confirmant; sed non ex toto primum et secundum, quod attinet ad tumorem et colorem violaceum vultus, spumam oris, et extremorum livorem. Etenim vir, etsi sex horas suspensus fuerat, et vinculum non illi solutum est nisi sex et triginta horas post suspendium, ista signa minime præbuit; nec quoque mulier, cujus collo laqueus detractus est post septem horas. Quin imo his Ill. Orfilæ observationibus, ipsa prima Cl. Esquiroli favere videtur; nam signa proposita in insana muliere observata sunt, quanquam funis paulo post mortem sublatus est. Duo scilicet inde oriuntur, nempe primum ista signa quæ, ex hujus sententia, ex eo pendent quod laqueus circa collum servatus fuerit, ad aliam causam quandoque referenda esse; deinde ea deesse posse in vivis suspensis per septem minimum horas.

§. VIII.

32. Hactenus de observationibus; sed nec omittenda sunt quædam ejusdem Cl. professoris Orfilæ experimenta, ad rem optime pertinentia. Duodecim corpora, morbis acutis aut chronicis sublata, suspensa sunt quatuor et viginti horas; quibus elapsis, vinculum solutum est. Vultus quidem erat pallidus et minime tumidus,

oculi non rubri, lingua non ore exerta; circulus autem laqueo impressus, cutis et textum cellulare in loco depresso respondentia, omni in re erant qualia in vivis suspensis. Notandum tamen est tria cadavera suspensa fuisse proxime a morte.

33. Primo aspectu forte credas hæc experimenta sententiam Cl. Esquiroli prorsus infirmare, contendentis tumorem et colorem violaceum vultus, aliaque ejusmodi signa a vinculo circa collum servato pendere. Sed ad id non satis sunt; nam hic ista phænomena observaverat in corporibus quibus vasa partium superiorum ob suspendium sanguine turgida erant, dum res aliter se haberet in cadaveribus experiendi causa a Cl. Orfila suspensis. Ceterum quod de colli suggillatione summus competitionis præses jam monuerat, ex toto verum esse ex iisdem periculis patet, comprobantibus eodem modo ut plurimum collum laqueo affici, sive vivus, aut mortuus, homo fuerit suspensus, sive cadaver calidum sit, aut frigidum.

Eadem pericula a præstantissimo medicinæ legalis in hac facultate professore, et uno ex concursus judicibus, Royer-Collardo, tentata, eumdem omnino ac Cl. Orfilæ experimenta habuisse exitum audivimus.

§. IX.

34. Tandem concludo, ut rem in paucissima contraham, affirmari non posse hominem vivum suspensum fuisse, nisi vertebræ cervicales luxatæ reperiantur, aut supersint quædam vestigia vulnerum ante mortem inflictorum; imo nec tunc semper, propterea quod fieri potest ut non ante suspensus, quam vulneratus et occisus fuerit. Sed tunc sæpe sæpius facile est ostendere hæc vulnera mortem misero attulisse.

§. X.

35. Quum in animo non habeam recensere ceteras quæstiones medico legales de suspendio, aut strangulatione proponi solitas, ut pote ab argumento nimis abhorrentes, huic dissertatiunculæ finem imponere propero. Illud tantum addam, auctores vel gravissimos jurisprudentiæ medicæ, Zacchiam videlicet, Albertum, Louisium, Petitum, Bellocum, Mahonem, Foderæum, et ceteros

maximo in errore versatos esse, ubi dictitarunt has quæstiones dissolvere non difficillimum esse. Quem errorem extirpare primum conati sunt præstantissimi viri, Esquirolus et Orfila, eo majore laude digni, quod plurimum ipsi contulerint ad cautiores consultioresque faciendos magistratus, summos famæ ac vitæ hominum arbitros.

36. Mihi autem hoc thesium argumentum sortito libentius congratulerer, quippe novum reputandum, nisi meæ tenuitatis conscius, angustiisque temporis inclusus, intelligerem me imparem esse huic tam arduæ materiæ tractandæ. Ut ut est, nervulos meos adhibui; et si res non mihi bene succedat, non forsan ingloriosum erit certaminis aleam subiisse.

FINIS.

Sequuntur nomina competitorum :

DD. Delondre, Rochoux, Gérardin, de Champesme, Cruveilher, Piorry, Legras, Bailly, Ramon, Miquel, Destouet, Martin-Solon, Dupau, Dugès, Andral, Gibert, Tuffier, Bayle, Velpeau, Meslier, Léger (Vict.), Léger (Th.), Bouillaud.